

EPISTULA LEONINA

LXXXV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXXIV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM QUINTAM (85) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam quintam.

Valdê vehementerque doleo, quod Epistulis Leoninis octogesimae quartae et quintae interposita est pausa anni ferê dimidii. Scilicet non iam liceat seriem epistularum tam diu interruptam appellare commentarios periodicos. Da veniam, quaeso, misero magistro cramben repetenti! Ne credas me hóc spatio semestri compressis, quod aiunt, manibus sedisse. En accipe quae sint officia mea laboriosa: In scholâ doceo linguam Latinam et Graecam necnon biologiam, in universitate moderor cursibus linguae Latinae, Graecae, Sanscritae discendae. Semestri praeterito proximo lêgimus Utopiam Thomae Mori, Antigonom Sophocleam, carmen regis Nali et principissae Damayantiae.

*Hac Epistolâ Leoninâ et sequenti agam de instrumento, quo ubique terrarum nostrates utantur frequentissimê, idque saepe morbosâ cum cupiditate: Loquor de instrumento, quod Anglico sermone nuncupatur **smartphone** et cui ego ipse tribus ferê annis ante nomen imposui Latinum (vel potius Latinizatum), quod est ***sophophonum**, -i n. Nonnullas afferam symbolas interretiales, e quibus apparet, quanta immineant pericula adolescentibus, qui morbosi sint in sophophona adhibenda. Gaudeo autem neologismum ***sophophoni** a me compositum (v. infra, p.19, n.2) interim a multis Latine scribentibus receptum esse.*

Tu autem feriis aestivis fruire et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d.Lunae, 17. m.Aug. a.2015



**ANEXOY KAI APEXOY
 SUSTINE ET ABSTINE**

EPICETUS
 (50-138 p.Chr.n.)

SOPHOPHONOLOGIA

id est

De usu et abusu telephoni intelligentis,

quod vulgo vocatur *smartphone*,

Latine autem

SOPHOPHONUM.

PARS PRIMA (I)



SURSUM CAPITA !

GRYLLI INTERRETIALES




»*Scisne legere et scribere?*«-

» *Non ita bene, sed scio irretire (res interreti imponere)*«.



»Nonne fieri potest, ut tangas aliam rem?«



Kostenfreie Unterrichtsmaterialien auf www.jugend-und-bildung.de

»Quid? A magistris praescribi, ut in institutione scholari sistamus sophophonum?« - »Sed... Sed istud non licet. Si istud faceremus, non essemus accessibiles«. - »... istud quidem esset perquam inurbanum !«. -

ECCE IUVENES – URBANIORES SUNT QUAM ESSE DICUNTUR !

NONNULLA VOCABULA COMPUTATRALIA ET INTERRETIALIA

accessibility; Erreichbarkeit

***accessibilitās**, -ātis f.

accessibility, constant; Erreichbarkeit, ständige

***accessibilitās continua**

antivirus software; Antiviren-Programm, Virenschanner, Virenschutzprogramm

programma *antivīrāle; +scandibulum *antivīrāle

app-store

taberna applicātiōnis

vgl Wikipedia s.v.: App Store (*von der englischen Kurzform für Application = Computerprogramm und Store = Geschäft; auch Appstore, Application Store, App Market, App-Marktplatz*) ist die Bezeichnung für eine Internet-basierte digitale Vertriebsplattform für Anwendungssoftware.

audioplayer

lēctrum audītōrium; programma audītōrium

blog

***histologion**, -iī n.

i.q. weblog, i.e. diarium telare.

cf. neograece ιστολόγιο. <https://el.wikipedia.org/wiki...> Το ιστολόγιο*, γνωστό συχνά με την άκλιτη ονομασία μπλογκ ' (*blog*), είναι μορφή ιστοχώρου. Είναι λίστα καταχωρήσεων από την πιο πρόσφατη καταχώρηση στην παλαιότερη.

Minus placet neologismus cacophonicus, qui est *bloga sive *blogum.

blogger

***histologista**, -ae m.

cf. neograece ιστολόγιο.

Minus placet neologismus cacophonicus, qui est *blogarius.

boot; booten, hochfahren, starten, urladen

systema initiāre

1. *subst.* initiatio systematis; cold ~ initiatio frigida, initiatio e frigido; warm ~ initiatio calida, initiatio e calido. 2. *vt.* Initiare [Kokoskiewicz]

browse

1. textūs perlustrāre 2. tēlam pernāvīgāre

1. (*to look over text documents*) *vt.* perlustrare 2. (*the Web*) *vt.* navigare

browser

***phyllometrēta**, -ae m.; ***phyllometrēta textuālis**; ***phyllometrēta *tēlāris**

<http://en.bab.la/dictionary/greek-english>

Φυλλομετρητής είναι ένα πρόγραμμα που μπορούμε να εγκαταστήσουμε στον υπολογιστή μας για να σερφάρουμε στο internet. Προέρχεται από την αγγλική λέξη browser. Όλοι μας έχουμε φυλλομετρητές: ακόμα και τώρα που διαβάζετε αυτό το άρθρο, το κάνετε με έναν τέτοιο! Αλλιώς ονομάζεται **φυλλομετρητής** ιστού (web browser).

Minus apta, nimis generalia videntur esse 1. (*text viewer*) *subst.* exhibitrum,i n. 2. (*Web viewer*) *subst.* navigatrum,i n. [Kokoskiewicz]

chatroom

***dialogēum**, -ī n.

computer

***computātrum**, -ī n.

computer game; Computerspiel

lūsus *computātrālis

computer virus; Computervirus

vīrus *computātrāle

De delinatione verbi, q.e. virus, v. Stearn, Botanical Latin.

cybersex

***sexuālitās *computātrālis; *sexuālitās *interrētiālis**

data; Daten

data, -ōrum n.pl.

database; Datenbank

basis datōrum; *datothēca, -ae f.

cfr neogr. βάση δεδομένων

data processing; Datenverarbeitung

datōrum pertractātiō

data storage; Datenspeicher

horreum datōrum

dementia, digital; Demenz, digitale

dēmentia digitālis

cfr <http://www.telegraph.co.uk/news/worldnews/asia/southkorea/10138403/Surge-in-digital-dementia.html>: The Telegraph, By Julian Ryall, Tokyo 8:36AM BST 24 Jun 2013: „Doctors in South Korea are reporting a surge in "digital dementia" among young people who have become so reliant on electronic devices that they can no longer remember everyday details like their phone numbers“.

dislike button, dislike option; Dislike

+botō reprobandī

dislike; disliken

+botōne reprobāre alqd.

display; Anzeige

***indicābulum**, -ī n.

download

***ērētiō, *ērētīre**

downloading

***ērētītiō**, -ōnis f.

emoticon

sīgnum *ēmōtiōnāle

Facebook

***Prosōpoblion**, -iī n. [Lingenberg]

file; Datei

archīum *computātrāle

minus commendabilia: scapus, plica, *datetum. cfr neograecum.

<https://el.wikipedia.org/wiki/>

flat screen; Flachbildschirm

***monitrum plānum**

hardware

partēs māchinae [He.]

image viewer; Bildbetrachter

lēctrum *vīsificum; programma *vīsificum

inaccessibility, elusiveness; Unerreichbarkeit

***inaccessibilitās**, -ātis f.

inaccessibility, right of; Recht auf Unerreichbarkeit

iūs *inaccessibilitātis

instant messaging

nuntiātiō subitānea

instant-messaging-function

fūctiō nūntiī subitāneī

internet

***interrēte**, -is n.; ***diadictyon**, -ī n.

cfr neogr. Διαδίκτυο

internet//

***interrētiālis**, -e; ***dictyacus**, -a, -um

cfr neogr. Διαδικτυακοί κίνδυνοι, i.e. pericula interreti effecta

internet addicted; internetsüchtig, ~abhängig

***dictyomanicus**, -a, -um; ***interrētī obnoxius**; **in *interrēte morbōsus**

internet addiction, ~ dependency; Internetabhängigkeit

***dictyomania**, -ae f.

neogr. εθισμός στο Διαδίκτυο

i-pad

Appleānum *computātrum tabellāre

i-phone

***mēlophōnum**, -ī n. = ***sophophōnum Appleānum**

laptop, notebook

***computatrum mōbile; *computātrum gremiāle**

like & dislike button, like & dislike option; Like & Dislike

+botō/ functiō comprobandī et reprobandī;

+botō/ functiō placentiae et displicentiae

like; liken

+botōne comprobāre alqd.

link

iūctiō *interrētiālis

mobile phone; Handy

***tēlephōnum mōbile**

multimedia player; media player; Medienabspielgerät; lecteur multimédia; reproductor de medios portátil; lettore multimediale;

lēctrum *multimediāle; programma multimediāle

network, social ~

***rētificium sociāle**

nomophobia

***asophophōnophobia**, -ae f.; **timor sophophōnī inaccessibleis**

notebook

***computātrum mōbile; *computātrum +gremiāle**

phablet; Phablet, Smartlet

***sophophōnum tabellāre**

phishing

piscātiō *interrētiālis

post; posten

irrētiō, irrētīre

projector, digital; Beamer

***proiectrum digitāle**

roboter; Roboter

automaton *androīdes

2.de declinatione adiectivi, q.e. androides, cfr Stearn, Botanical Latin
Minus placet “*robotor, -oris m.” (Egger).

scanner

+scandibulum, -ī n.

cfr EL 76, p.25sq.

antivirus software; Antiviren-Programm, Virensscanner, Virenschutzprogramm

programma *antivīrāle; +scandibulum *antivīrāle*screen; Bildschirm, Monitor****monitrum**, -ī n.

minus commendabile: *visificium (cfr EL 70)

*sexting***1. *erōtographātiō**, -ōnis f.**2. *erōtīconātiō**, -ōnis f.*skype; skypen****scopophōnāre***skyping****scopophōnia**, -ae f.*smartlet; Phablet, Smartlet****sophophōnum tabellāre***smartphone; fr. téléphone intelligent, ordiphone****sophophōnum**, -ī n.*smartphone, use of; Smartphonebenutzung****sophophōnia**, -ae f.*smartphone, to use a ~; Smartphone, ein ~ benutzen****sophophōnāre***smartphone//****sophophōnicus**, -a, -um*smartphone, lack of ~ contact***dēfectus *sophophōniae; *asophophōnia***smartphone addicted****sophophōnō obnoxius; *sophophōnomanicus**, -a, -um;**in *sophophōnum morbōsus**

cfr *drogomanicus, *nicotinomanicus, *opiomanicus, *morphinomanicus, *heroinomanicus, *pornomanicus, *phagomanicus,

*smartphone addiction, smartphone overuse; Smartphonesucht****sophophōnomania**, -ae f.; ***sophophōnia morbōsa***smartphone talk****sophophōnēma**, -atis n.*Smiley***sīgnum +vultuāle***SMS****tachygramma**, -atis n. (**digitāle**)

software

partēs *programmātiōnis [He.]

storage; Speicher

horreum (*computātrāle)

store; speichern

+inhorreāre

tablet; Tabletcomputer, Tablet, Flachrechner

***computātrum tabellāre**

text; simsen

***tachygraphāre**

touchscreen

***monitrum tāctile**

2.LUCR.nat.5,151. - Touchscreen (früher: „berührungsempfindlicher Bildschirm“, seltener: „Berührungsbildschirm“, „Tastschirm“, „Sensorbildschirm“)

videocamera

***scopocamera, -ae f.**

videocassette recorder, VCR, video recorder

***magnētoscopium, -iī n.**

videoclip

***scopocīnēmatium, -iī n.**

videofilm

***scopocīnēma, -atis n.**

Videoplayer

lēctrum *scopocīnēmaticum; programma *scopocīnēmaticum

webcam

camera *interrētiālis

webportal

***portal *interrētiāle**

website

situs *interrētiālis

WLAN

***interrēte *īnfilātum**

www = worldwide web

TTT = Tēla Tōtīus Terrae, TTO = Tēla Tōtīus Orbis

cfr Lingenberg

LITTERAE ADHIBITAE

BERARD, Stephen

<http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales/latin/Scitu%20Digna/Vocabulorum%20Computatralium.aspx>

HELFER, Christian: Lexicon auxiliare. 3.a ed.

KOKOSKIEWICZ, Konrad (“Draco”)

<http://www.obta.uw.edu.pl/~draco/docs/vocomp.html>

LINGENBERG, Wilfried

De vivo Latinae linguae usu per Interrete redintegrato. Haec acroasis habita est die 25^o Martii a. 2012^o Romae in „Diebus Latinitatis vivae“, conventu vernali societatis Goerresianae qui a Julia Maria von Schenck Henricoque Heidenreich moderatoribus convocatus. In: Göttinger Forum für Altertumswissenschaft 17 (2014) 57 – 61

<http://gfa.gbv.de/dr,gfa,017,2014,a,03.pdf>

OLDENBOURG Schulbuchverlag 2008.

http://www.oldenbourg.de/osv/download/pdf/vocabula_computatralia.pdf

WIEBKE, Timm

<http://web.archive.org/web/20040305080739/http://home.t-online.de/home/Wiebke.Timm/computerlatein.htm>

Gary Turk

Suspice de sophophono !



**Sunt mihi quadringenti viginti duo (422) amici.
Tamen solus sum.**

Cum omni illorum loquor omni die.
Tamen nemo illorum me novit reverâ.
Ecce difficultas, quae mihi est, qua vexor:
Difficile mihi est illorum oculos inspicere,
illorum nomina monitro inscribere.
Gradu recessi, oculos aperui,
circumspexi, intellexi:
Haec media, quae vocamus „socialia“,
computatris gremialibus apertis
nihil sunt nisi ostia quae claudamus.
Omnibus istis instrumentis decepti
falso credimus nos cum aliis communicare et amicitias colere.
Ab istis instrumentis fallacibus si abstinueris
excitatus videbis mundum esse perturbatissimum,
mundum, in quo nos simus servi rei technicae, qua utimur;
mundum, in quo veneunt informationes
ab aliquot furciferis homuncionibus negligentibus,
mundum, qui scatet philautiâ ostentatione vanâque gloriatione.
Ubi nos omnes gloriamur de rebus nostris,
sed nihil dicimus de animi nostri commotionibus.
Res quas sumus experti cum aliis si communicamus,
solemus esse felicissimi.
Sed quid si nemo accipit ea quae enuntiamus?
Amicis si affueris, amici tibi aderunt,

sed nemo aderit, si illis miseris nuntium gregalem.

Nuntios tractamus et exaggeramus et cupimus admirationem.
 Simulamus nos non animadvertere
 vitam nostram esse segregem et insulatam.
 Verba facimus tam ordinata, ut vita nostra videatur splendida.
 At ne scimus quidem, num quis nos audiat!
 Non est (hoc verbis effero) mihi difficile solum esse.
 Si librum legis aut picturam pingis aut quidquid aliud facis factu dignum,
 animus tuus est ferax et praesens, non seclusus et a mundo alienus.
 Vigilas et attendis et tempore uteris ad rem dignam faciendam.
 Itaque cum hominibus interes et tibi videris solus esse,
 manûs capiti postpone et abstine a sophophono!
 Non debes aspectare indices sophophoni oculis torpidis.
 Colloquere cum ceteris, disce unâ cum aliis vivere!
 Tramine cum vehor non patior
 omnes homines silere ad officium gerendum petentes,
 quia nemo vult loqui timens, ne ineptus esse videatur.
 Fimus segreges, solitarii, non iam placet nobis
 alteri nos associare alteriusque oculis inspicere.
 Circumdati sumus a parvulis, qui ex quo nati sunt,
 nos aspectant ratione androidum viventes
 et cogitantes eandem esse normam communem.
 Omnino non est verisimile te factum iri patrem mundi optimum,
 nisi scies filium delectare sine computatro tabellari.
 Equidem puer cum essem, numquam eram domi.
 Foris eram apud amicos meos, birotis nostris circumvehebamur.
 Calcei mei erant discissi, genua contusa
 aut aedificabamus domunculam nostram in summis arboribus.
 At nunc viridarium est silentiosum, quod cum intro frigeo.
 Nullos video parvulos foris ludentes, oscilla pendent immota.
 Parvuli non saliunt fune, neque per quadrata,
 nulla adest ecclesia, nulla adest turris.
 Nos sumus baburri sophophonis dediti, homunciones stultissimi.
 Itaque tibi dico: Suspice de sophophono, siste eius monitrum!
 Attende ad homines circa te versantes, carpe diem!
 Uno tantum eges homine, ut videas,
 quantum valeat animi tui praesentia.

Ibi versare illo momento semper recordabili,
 quo oculos in te coniciet puella, cuius amore capiaris.
 En illud tempus, quo primum manum tenebis, labia osculaberis.
 Illud tempus, quo primum non assentis, sed tamen illam amas infinite.

Illud tempus, quo facta tua non debebis centum hominibus narrare,
quia illud momentum communicare voles cum illâ puellâ,
Illud tempus, quo vendes computatrum tuum mobile,
ut emas anulum puellae somnio visae, quae nunc est vera.

Illud tempus, quo familiam es conditurus, et momentum,
quo primum filiolum bracchio impones denuo amore captus.
Illud tempus, quo filia te turbat totâ nocte et nihil optas nisi quietem,
illud tempus, quo lacrimas absterges filiâ nidum relincente.

Illud tempus, quo puellula tua redit cum puero, qui eam servet loco tuo,
et diem, quo ille te avum vocat, ut sentias te senescere.

Illud tempus, quo usus es ad ea facienda, quae ad vitam spectant,
et quod non trivisse isto instrumento aspiciendo quam felix es!

Illud tempus, quo tenes manum uxoris, lecto eius assidens,
quo dices te amare illam caput osculatus.
Tum illa corde ultimum pulsante tibi quietê insusurrat,
se beatam esse, quod illo tempore retenta sit a viro viam pererrante.

**At illorum temporum nullum umquam tibi fiet:
nam semper ad sophophonum despicienti occasiones praeteribunt.**

Itaque suspice de sophophono, siste monitrum!
Vita nostra brevis est, brevi finietur.
Noli tempus vitae terere interreti captus!
Nam in fine nihil peius est quam paenitentia.

Ego quoque in culpâ sum, quod pars sum istius instrumenti,
pars huius mundi digitalis, in quo audimur, sed non videmur,
in quo dactylographamus quasi loquamur et legimus, quasi garriamus,
in quo horas unâ degimus unus alterum non videntes.

Itaque noli te dedere vitae, qua sequaris turbam,
hominibus da animum carum, noli dare "placet" tuum electronicum!
Ne credas necessarium esse, ut audiaris et definiaris.
Abi foras ipsum in mundum, ne animus tuus ab ullâ re avertatur.

**MONITRUM SISTE ET SUSPICE DE SOPHOPHONO!
Hoc cinematium desinas spectare!
Veram vitam vive et carpe diem!**

VALETUDO & MEDICINA

d.12. m.Oct. a.2012, h.18:11

Adolescentes parum dormire

Ite dormitum!

Bonum mâne! Novâ disquisitione apparet multos adolescentes insomniâ laborare, quintum quemque minus sênis horis per noctem dormire. Adolescentes nimis diu vigilant nec surgunt nisi aegrê et dolorosê – etiam cum institutio scholaris incohetur praematurê – quod nocet valetudini.



Ecce discipulum fatigatissimum more solito positum

Parentes hoc bene noverunt necnon magistri: Adolescentes oscitant libenter et multum. Quod saepe fit, quod illi molestiâ temporis vexantur, si quis vult sibi explicare theorema Pythagorae aut animos suos inflammare vult museo artium historico visendo. At verisimile est etiam verâ fatigue effeci, ut adolescentes oscitent. Nam novâ disquisitione apparet ex trinis adolescentibus, qui annos habent inter 16 (sedecim) et 25 (viginti quinque) annos, binos parum dormire.

Grex investigatorum Instituti Valetudinis Investigandae Dillenburgensis et Centri Medicinae Dormitoriae Marburgensis in hac disquisitione 8800 (octo milibus) adolescentium et iuvenum interrogatis invênit illos diebus negotiosis in medio minus dormire septem horis per noctem, quintum quemque minus sex horis per noctem. Hi numeri inventi summario iam publicati sunt. Tota disquisitio postea divulgabitur.

Manfredus Betz disquisitionis moderator suadet, ut adolescentes unâ minimum horâ diutius dormiant, nam ipsos adolescentes egere somno plurimo. Pubertate enim incipiente cerebrum vehementer mutari, quo unâ ex parte indigentiam dormiendi augetur, alterâ ex parte pubescentes nocte diutius vigilent.

Manfredus Betz adolescentium nimiam vigilationem etiam eo explicavit, quod illi nimium consumerent mediamina¹ iisdemque nimis maturê esset surgendum ad institutionem scholarem participandam: Illos, cum indole suâ biologicâ possent diutius vigilare, studere animum avertere **sophophono**² et computatro mobili³. Iisdem etiam magis fatigari. Etiam eo quod multis in scholis – aliter ac aliis in terris – institutio iam incoharetur hora octava, facultatem discipulorum praestatoriam deminui. Ergo insomnia est inevitabilis et multi discipuli tironesque professionum cottidie non surgunt nisi dolenter.

62% (Sexagenae binae partes centesimae) interrogatorum ideo per diem sentiunt se esse parum recreatos parumque aptos ad praestandum. Nam somno non sufficiente neque recreabili valetudo hominum vehementer deminuitur. Minoritas tantum adolescentium (17% = septenae denae centesimae partes) cum mâne expergiscit, sibi apta videtur ad labores diurnos exanclandos. Saepe insomniâ effici, ut homines laborarent difficultatibus psychicis et doloribus capitis et molestiis stomachi intestinorumque necnon essent operandi incapaces.

Adolescentes, si sibi licitum esset, libenter dormirent usque ad horam octavam aut nonam. Investigatores dicunt illos studere, ut deficientiam dormiendi compensarent eo, quod in diebus septimanae finalibus plus dormirent. Plerosque his diebus dormire plus novenis horis. At hac "superdormitatione septimanifinali" animum non relaxari, insomniam non compensari.

Investigatores eo imprimis stupefactos esse, quod quintus quisque intra annum difficultatibus dormiendi laborasset, sed duodecimus quisque studuisset, ut insomnia sua curaretur.

1 *mediamina, -um n.pl. *Medien*.

2 *sophophonum, -i n. *Smartphone*.

3 *computatrum mobile - *Laptop*

Hanc relationem d.12.m.Oct., a.2012 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online” editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: „*Schlafmangel bei Jugendlichen – Ab ins Bett*”

Scripsit Nicolaus Gross - 19/10/2012 18h42

Interrete

Medicos monere de adolescentium sophophonomaniâ

d.16. m.Iul.2014 | 17:21 h



Ecce sophophonum tenet societatem correptam.

Bochum ex urbe. In dies plures iuvenes tam saepe utuntur sophophonis, ut medici monent de periculis. Iidem enim dicunt iuvenes dediscere discentiam analogicam. Interim psychiatri curant puellas puerosque, qui morbosi sunt in sophophonum lusūque computatrales. Puella quindecim annos nata: „Sine sophophono“ inquit „equidem non exsto.“

Iuvencae, si mente fingunt se per aliquot horas seiunctas esse a suo sophophono, corripiuntur terrore Panico. Si quae quem nuntium „WhatsApp“ negligit, ab amicibus vituperatur et arrogans esse putatur. Haec puella quindecim annos nata vivere non potest sine sophophono. Quod sine pausâ pipiat, monitro eius instrumenti conclave etiam nocte illuminatur, ut puella certior fiat de nuntio allato.

„Ego non sum morbosa. Non fumo sigarella. Non bibo potiones alcoholicas. Eadem discipula gymnasii: „Scilicet“ inquit „omnes habere sophophonum“. Itaque ea puella hoc instrumentum, donum parentum, semper secum fert in scholâ, in laophoro, unâ cum aliis domi cenans, vocabula discens. Puella ne paulisper quidem dubitans: „Sine meo sophophono“ inquit, „non exsto. Sine Prosopobiblio (*Facebook*) sum mortua“. Accessibilitas continua, missio photographematum mutua, collectio musica, calendarium rerum agendarum – „sophophono inest vita mea tota“.

Non Prosopobiblion ipsum esse periculosum, sed auctoritatem, quam idem habeat

Dr. Stefanus Kimm, qui in Nosocomio Elisabethae Dortmundiensi psychiatrico curat adolescentes in lusū computatrales atque interrete morbosos, dicit haec: „Non retificium sociale aut sophophonum sunt

periculosa, sed auctoritas, quam hae res habere possunt ad vitam harum puellarum“.

Dr. Kimm putat iuvenes functione placentiae (*Like-Funktion*) fieri morbosos in interrete. Idem psychiater „Nemo“ inquit „magis indiget assensu atque comprobatione coaequalium quam iuvenes. Quo saepius iidem hac functione comprobantur, eo meliores se esse ipsi putant, etiamsi comprobantur ab hominibus sibi ignotis. Nam iuvenem aliquem ex quingentis amicis Prosopobiblii saepe non plures verê noverunt quam triginta, e.g. amicos scholares.

Infantuli maximê attrahuntur novis mediis electronicis. Sed adulti quoque seducuntur – sophophono. Hoc demonstratum est ab investigatoribus Universitatis Bonnensis. Qui applicationem nomine «*Menthal*» invenerunt, qua investigarent, quo modo uterentur homines sophophonis suis. Hac applicatione, quae cottidie gratis eretiebatur a centum quinquaginta milibus hominum, apparuit frequentia sophophona adhibendi. Inventum est plurimos homines cottidie ûti sophophonis suis minimum per binas horas.

Iuvenes, quorum aetas est intra spatium duodeviginti et viginti trium annorum, sophophonum suum expediunt septimâ quaque minutâ eodemque utuntur per tres horas in die. *Alexander Markowetz*, professor iunior instituti informatici Universitatis Bonnensis moderatorque applicationis Menthalianae adhibendae: „Illi iuvenes“ inquit „sophophonis nequaquam utuntur ad telephonandum, sed ad retificia socialia frequentanda aut ad lusûs computatrales faciendos. Investigatores autem id maximê student, ut usum sophophoni periculosum perscrutentur, quo negligantur res vivendi graviores, quales sunt familia et schola et professio.

In hac re non prodest actio multiplex (*multitasking*), nam studio complures res simul perficiendi nequaquam parcitur tempori. *Bert de Wildt*, medicus superior Nosocomii medicinae psychosomaticae et psychotherapiae Bochumensis „Nos dediscimus facultatem cogitationes ad unam certamque rem dirigendi. Falsâ inclinatione animi semper studemus, ut simus etiam alio loco aut, quod optimum nobis videtur, ubique simul. Istud nobis nocebit“. Homines nimis multis quisquiliis simul tractandis tempus terere, quo effici e.g., ut discipuli minus praestare valeant labores scholares exanclantes. Ad textûs ratione analogicâ legendos atque scribendos necessarium esse, ut discipuli animum tanti attenderent, quanti eosdem, qui a primis pueris rei digitali essent assueti (*digital natives*), in futurum difficiliter attendere posse

verisimile sit. Itaque *Bert te Wildt* suadet, ut adolescentes primum discant ūti mediis non-digitalibus.

Totam societatem esse rebus digitalibus obnoxiam

Si agitur de adolescentium sophophonmaniâ dictyomaniâque, *Bert de Wildt* postulat, ut parentes reddant rationem. Oportere, ut iidem liberis suis sint exemplo, ut efficiant zonas et tempora a mediis electronicis vacua, e.g. mensam, ubi fiant comesiones familiae communes. „Eo quod aliquis ad liberos suos numquam ex integro animum attendit, apparet negligentia perniciosa.” Totam societatem esse mediis digitalibus obnoxiam. Oportere, ut eadem cognoscat, quid detrimenti faciat in rationibus, quae hominibus intercedant, si novis mediis digitalibus ultra modum capiatur.

Sed *Bert te Wildt* nequaquam nova media perhorrescit: „Scilicet iuvenum intersit cognoscere novum medium. Qui cum maturrimê discant talibus instrumentis ūti, parentibus in hac re praestant.“

Quare nonnulli homines sophophono utuntur ultra modum? Si incipiunt ūti tali instrumento, exspectant aliquid iucundum atque extraordinarium. Itaque in eorum corpore effunditur hormon quoddam euphoricum, quod appellatur dopaminum. *Stefanus Kimm* hunc effectum explicat his ferê verbis: „Usus sophophoni comparari potest cum lusu aleario: Incipio ūti sophophono, ut accipiam aliquid iucundum et extraordinarium, fortasse illud “placet”, quo ab aliis comprobatur aliquid a me dictum factumve”.

Silke Hoock

Ärzte warnen vor Smartphone-Sucht bei Jugendlichen - | WAZ.de - Lesen Sie mehr auf:
<http://www.derwesten.de/wirtschaft/digital/ohne-handy-existiere-ich-nicht-ohne-facebook-bin-ich-tot-id9599313.html#plx1409904057>

VOCES ET ECHUS

Andreas Fritsch

Berolinensis professor Latinitatis emeritus

22.2.2015

Andreas Nicolao sal. plur.

Denuo tibi, Nicolae, gratias ago pro octogesima quarta epistula Leonina, qua flammam Latinitatis perennis nova materia aluisti. Simul tibi gratias ago, quod etiam aliquot 'echus et voces' adiunxisti. Licetne ex epistula tua colligere te bene valere? Id quidem spero et opto. Optime vale.

Walter Berschin

Heidelbergensis professor Latinitatis mediaevalis emeritus

26.II.2015

Nicolao Waltharius S.P.D.

Iterum atque iterum interpres fabellarum Grimmianarum me legentem delectasti; dent tibi vires dii et animum quam plures harum fabellarum Latine vertendi, optimum rugitum, Leo latine, iam dedisti, prospere procede! VALE! XAIPE !

Walter Berschin

Markus Groß

Bipontinus professor linguista polyglottus et oeconomus

27.2.2015

Carissime Nicolae,

si tu et uxor tua valetis, bene est, ego valeo. Te certiolem facere velim de obitu professoris nostri Maximiliani Mangold. Cuius celebratio lugubris habebitur die Saturni proximo in sacello, cui nomen est "*Deutschherrenkappelle*" (hora secunda post meridiem) in urbe *Saarbrücken*.

Nescio, num propter longam distantiam adesse possis, sed si fieri potest, ut venias, post hanc celebrationem occasio tibi erit multos amicos temporum praeteritorum conveniendi.

Medullitus te salutatur amicus tuus

Markus Groß

**HANC EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM QUINTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Lunae, 17. m. Aug. a. 2015

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>